


Google




600010426J



HELPERICI

KAROLUS MAGNUS

ET

LEO PAPA.

HELPERICI

SIVE UT ALII ARBITRANTUR

ANGILBERTI

KAROLUS MAGNUS

ET

LEO PAPA.

E

COD. TURICENSI SEC. IX.

EMENDAVIT

IO. CASP. ORELLIUS

CIVITATI TURICENSI A BIBLIOTHECA.

TURICI

TYPIS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.

MDCCCXXXII.


BODLEIANA

IO. CASP. ORELLIUS
IOSEPHO
LIBERO BARONI DE LASSBERG
S. P. D.

Gratum sperabam fore tibi, illustrissime amice, tecum si communicaretur insigne antiquitatis Germanicae, quam tu indefesso studio et prosperrimo successu colis, monumentum multis iam locis correctum, eoque acceptius tibi esse confido hoc qualecunque munusculum, quia sagacitati eruditissimi filii tui, qui paterna studia egregie aemulatur, veri indicium ac veluti vestigium debeo.

Sed consilio meo praeterea innoxiam quandam astutiam subesse ultro fatebor tibi,

mire opifex — —
— — iuvenes agitare iocos!

si quidem nos omnes, qui in haec studia incumbimus, nimis impatienter abs te exspectamus Waltharium tuum manu fortem. Intelligisne iam, quid meum donum ante omnia sibi velit? Amica vi in te grassaturus experiar et tentabo, an tandem elicere ex te vel dicam extorquere possim venerandum illud poësis Latinogermanicae specimen, ad quod ut meretur expoliendum tu iamdudum egregiis adminiculis fretus quum te accinxeris, nondum tamen optatis nostris satisfecisti. Iam, sequere, quaeso, vel potius, quod facile tibi erit, vince amici exemplum, prioribusque tuis meritis hoc quoque adiunge, ut prodeat Waltharius pressisque vestigiis eum subsequatur Hericus, atque uterque comitetur

Karolum meum: et solentur tres hi heroes, si fieri potest, per aliquot horas maerorem, in quem incidimus propter Helvetiae turbas civiles.

Strenae loco iam accipe laetum nuncium, quem tibi allaturus sum. Repertus est, repertus, inquam, unicus ille Helperici codex Sangallensis, cuius interitum vir doctissimus Pertzius deploravit. Etenim una cum aliis tempore belli intestini inter Helvetios gesti anno mdccxii. Turicum asportatus etiamnunc apud nos asservatur et post communis amici Hörneri immaturum obitum meae iam custodiae commissus est. Est autem membranaceus formae quadruplicatae Seculi noni exeuntis vel decimi ineuntis, signatus C. 78. 451.

Omissis iis, quae aliis ex Codd. a glutinatore addita sunt, ea dumtaxat enarrabimus, quae ab erudito librario eadem manu literis perpulchris sunt exarata.

I. AVGVSTINVS. „Inserit etiam Lactantius operi suo quaedam de Christo vaticinia Sybillae" *(sic) cet.* Pag. una.

II. YMNVS SCAE DI GENETRICIS MARIAE victoferus[1]) atque salutatorius a Sancto Germano patriarcha Constantinopolitanorum rithimice *(sic)* compositus. per singulas A. B. litteras. singulos inchoans versus. Paginae tres.

III. VERSVS DE EVANGELIO AD PICTVRĀ. „Angelus ecce seni promittit munera nati" *cet.* Pagg. quattuor. Theodulpho tribuuntur in Canisii Lectt. ed. Basn. II. 2. pag. 79.

IV. Sine indice.

„Laurentius iuvenis clericus capillo plano et medio inter nigrum et flavum veste apostolica crucem et evangelium portans." — Similes descriptiones sanctorum in usum pictorum factae, (ut multae huiusmodi heroum ad Troiam imperatorumque Romanorum sunt apud Ioannem Malalam) Stephani, Sebastiani, Vitalis, Gerbasii *(sic)*, Georgii, Theodori. Pagina dimidia.

---

[1]) Sic scriptum in Codice, id est, *νικηφόρος*.

V. Eadem pagina incipit Glossarium sine indice.

„Morfoma G̅. L̅. forma vel figura. Averruncare. eradicare." *cet.* Paginae duae.

VI. Sine indice. Disputatiuncula de Canone. Petitio novitiorum. Traditio infantum. Promissio regularis. Paginae quattuor cum dimidia.

VII. INCIP̅. FIDES CATHOLICA A SC̅O̅ HIERONIMO PR̅B̅O̅ edita contra arrium. eunomium. fotinum. Manicheum. iovinianum. apollinarem. vel ceteros hereticos. Paginae sex.

VIII. INCIPIVNT VERSVS.

Est scilicet Q. Sereni Sammonici poëma de curandis morbis, iussu Karoli Magni ab Iacobo nescio quo[1]) emendatum, ut apparet ex ultimis quattuor versibus praefationis ab eo praemissae:

„Inclitus invictum Christi virtute tropheum
Qui regit, haec fieri Karlus rex namque modestus
Mandat, ut in seclis rutilet sophisma futuris:
Legit[2]) enim famulus stilo animoque Iacobus."

Exemplar dignissimum, quod cum editionibus conferatur, propterea maxime, quod novissimus Editor, I. C. G. Ackermann Praef. p. XXXI. haec tradit: „parci utique sunt antiquae scripturae codices SERENI, ita ut vere dubitem, quin ulli ex memoratis aetas seculi XII. aut ineuntis XIII. iure adsignari possit." Hic ergo longe antiquissimus inter omnes nunc notos. Paginae LI.

---

[1]) Nulla eius mentio fit in Alcuini Carmine CCXXVIII. Opp. ed. Frob. Vol. 2. p. 228. *De studiis in aula regia*, etsi medicos memorat his versibus:

Accurrunt Medici mox Hippocratica tecta (lege: *secta*):
Hic venas fundit, herbas hic miscet in olla;
Ille coquit pultes, alter sed pocula praefert:
Et tamen, o medici, cunctis impendite gratis,
Ut manibus vestris adsit benedictio Christi.

[2]) Id est, recensuit.

IX. Sine indice. Disputatiuncula de VII. miraculis mundi, miris fabellis referta, quam reperi itidem in Salustii Cod. Basileensi Sec. X. Paginae duae cum dimidia.

X. Sine indice. „Dilectissimo filio meo daphni albinus pater salutem. quia primum de numerorum ratione mecum egisti" *cet.* Paginae quattuor. In Alcuini Opp. 1. p. 408.

XI. Sine indice. Ab eadem illa manu Sec. XVI, quae nostro poëmati indidit falsum, ut videtur, scriptoris praenomen Ferii, huic, quod sequitur, in margine adscriptum est: *Theodulfi.* Incipit:

„Aurea nam decem transmisi poma sorori." Versus viginti. Pagina una.

XII. Ab eadem manu Sec. XVI. superscriptum:

Theodulfi ad Aiulfum (sic) *epm.*

„Hoc modoine tibi theodolfus dirigit exul." Paginae xiii. v. Canisii Lectt. II. 2. p. 65—69.

XIII. Ab eadem manu Sec. XVI. superscriptum:

Agiulfi (sic)

„Ludere nemo potest versu sine lege polito." Paginae vii. In Canisii Lectt. II. 2. p. 69. rectius tribuitur haec elegia Modoino.

XIV. Sine indice. Dionysii Catonis disticha. Pag. xiv. Codex ab Hagenbuchio collatus in usum Arntzenii. Praefatio, ordine potissimum verborum, admodum discrepat ab edita.

XV. Sine indice. Carmen de Philomela. „Sum noctis socia, sum cantus dulcis amica." Pagina una. Edidit Goldastus in (Pseudo-)Ovidii Opusculis p. 74.

XVI. Sequitur nostrum poëma, de quo postea fusius explicabimus. Paginae xxi.

XVII. Sine indice. Scholia inedita in Q. Sereni Sammonici poëma medicum. Paginae duae cum dimidia.

XVIII. CONFLICTVS VERIS ET HIEMIS. „Conveniunt subito cuncti de montibus altis." Paginae duae. Adscriptum ab eadem manu Sec. XVI. *Bedae.* Cfr. Leyseri

Hist. Poët. et Poëm. medii aevi p. 207. Tribuitur etiam Miloni; cfr. ibid. pag. 256. Edidit Goldastus in (Pseudo-) Ovidii Opusculis p. 190.

XIX. Sine indicibus. Epigrammata aliquot scholastica in Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum; Nomina Musarum. Pagina una cum dimidia.

XX. INCIPIT EPISTOLA DE MANSIONIB. FILIORV̄ ISRAHEL. Est Bedae. Paginae vii.

XXI. DE X. NVMERIS CANONV̄. IIII. EVANGELISTARVM. Paginae duae.

XXII. EXPOSITIO FIDEI CATHOLICAE. Adscriptum ab eadem illa manu Sec. XVI. *Athanasii.* Incipit: „Quicunque vult salvus esse ante omnia" *cet.* Paginae x.

XXIII. PERIGESIS *(sic)* PRISCIANI GRĀMATICI. Paginae xliii. Codex dignissimus, qui accurate conferatur.

XXIV. INCIP̄ VERS̄ SAPIENTIV̄. HOC EST BASILI ASMENI VOMANI EVFORBI IVLIANI HILASI PALLADI ASCLEPIADI EVSTHENI POMPELIANI *(sic)* MAXIMINI. VITALIS DE DIVERSIS CAVSIS[1]). Paginae xi. Cfr. Burmanni Anthol. Lat. I. p. 393. seqq., ubi pleraque horum carminum leguntur.

XXV. Sine indice. Versus Sibyllini Latini acrostichi. Paginae duae.

XXVI. DINAMIVS GRAMMATIC̄ AD DISCIPVLV̄ SVV̄ AIT. „O quam dolenda est condicio" *cet.* in Goldasti Paraeneticis p. 148. Pagina una.

XXVII. Excerpta ex Augustino et Gregorio. S. Columbani Epistola altera ex hoc ipso Codice, collato altero, edita a Goldasto in Paraeneticis p. 146. Paginae sex.

XXVIII. VERSVS SILVII DE COGNOMENTIS SALVATORIS. Incipit: „Spes, ratio, via, vita, salus, sapientia, Christe" *cet.* Pagina una.

XXIX. Sine indice. Publii Syri et aliorum sententiae

---

[1]) Id est rebus, argumentis, Italice *cose*.

e literis C - - V. a Christiano homine admodum interpolatae, metro plerumque soluto. Paginae quinque.

Iam ut de nostro poëmate disserere incipiamus, in folii quinquagesimi sexti pagina prima legitur Elegia de Philomela *Sum noctis socia, sum cantus dulcis amica;* de qua Goldastus in (Pseudo-)Ovidii Opusculis. Francof. 1610. p. 25. haec habet:

IVLIVS SPERATVS.

„Huius quattuor habui scripta exemplaria: duo ex illustrissimo S. Galli apud Helvetios monasterio, tertium ex bibliotheca Bartholomaei Schobingeri I. C., quartum a Petro Roveriano, typographo Genevensi. Tria erant ἀνεπίγραφα[1]), solus Sanctigallensis Codex, in quo Claudiani, Fortunati, Paulini et Walafridi quaedam poëmata, huiuscemodi praesentat titulum: VERSVS IVLI SPERATI DE PHILOMELA: cuius etiam scripturam et structuram versuum[2]) per omnia secuti sumus."

In eiusdem folii LVI. altera pagina ultimo versui Iulii Sperati:

Nolo tacere velis: nolo tacere velis.

sine ullo intervallo hi subiunguntur:

Gloria tibi summa (sic) *laus. et benedictio Christe*
Qui praestas famulis. haec bona grata tuis.

Tum in ima margine eiusdem paginae a manu seculi, ni fallor, decimi exeuntis, sane ab eius manu, qui Codicem ipsum exaravit, diversa et aliquanto recentiore duo vocabula leguntur, ab omnibus adhuc ante filium tuum, a me ipso quoque olim sic lecta:

fer̄ helṕc

---

1) "t noster Codex olim Sangallensis, nunc Turicensis, quem ex hoc quoque loco patet inspectum esse a Goldasto.

2) Longe utique meliorem ea, quam exhibet Codex noster, ita, ut ex nostro nihil omnino emendari queat in Goldasti editione.

Super his manu illa Sec. XVI., quam aliquoties iam memoravimus:

Ferius Helpericus auctor seq. carminis.

Sequitur folio LVII. carmen nostrum.

Ex hoc igitur Codice fluxit, quod poëta FERIUS HELPERICUS audiebat apud nonnullos, veluti apud Schobingerum Epist. ad Goldastum XLV. p. 54. ed. Thuelemar., Barthium Adversar. 46, 2. p. 2121.[1]), Vossium de poëtis Lat. p. 69. Amst. 1654.[2]), Olaum Borrichium Diss. de poëtis p. 84.[3]) Polycarpum Leyserum Histor. poët. et poëm. medii aevi p. 213.[4])

Iam primus editor, Canisius, vidit poëma nostrum compositum esse ab aequali aliquo Caroli Magni ipsius, anno 800. vel paullo post. Nam quod dubium poterat fortasse moveri ex eo, quod Leoni a sicariis effossos oculos, abscissam linguam, sed statim divini numinis vi atque nutu et linguam et oculos esse restitutos tradit, ea fabula erat vulgi libenter a poëta suum in usum conversa. Etenim aliquot eiusdem aetatis non poëtas solum, sed etiam historicos id tradidisse satis constat, quum prudentiores dumtaxat rem in medio relinquerent[5]).

---

[1]) „Ferii Hilperici quamvis nomen dubietatis plenum sit et argumenta minime vilia, qui eum scriptoris instar nemini notum faciant damnentque titulo, quem inter posteritatis praeconia meritus est, nos tamen ut tali vocabulo notandum eum scriptorem illustrare volumus, qui Caroli M. cum Leone Pontifice congressum descripsit" *cet.*

[2]) „Etiam Caroli M. temporibus fuit is, qui seu vero seu ficto nomine appellatur Ferius Hilpericus (*sic*). — Ms. exstat apud Helvetios in monasterio St. Galli" *cet.*

[3]) *Hilpericum* huic quoque dici refert Leyserus. Librum non habeo.

[4]) Hic eum distinguit ab Helperico Sangallensi. — Saxius in Onomastico nostri poëtae nullam facit mentionem.

[5]) Cfr. Muratori *Annali d'Italia anno* 799. *Ed. di Roma* 1752. Tom. IV. P. II. pag. 201. „*Teodolfo*, *vescovo di Orleans* (Lib. 3.

Hinc omnes uno ore agnoverunt opusculum istud minime tribui posse Helperico, monacho Sangallensi, de quo, quaecunque potuit, solita cum diligentia collegit Fabricius Bibl. mediae et infimae Lat. ed. Mansi Tom. 3. p. 201. Fluctuat eius aetas inter annos 975. 980. 1005. 1020. 1040. 1070. 1090. Qua de re haec habet Pezius Diss. isag. in Tom. II. Anecd. noviss. p. xxv. „Totius huius certaminis et perturbationis causam praebet Libri de computo Caput xxiii., in quo Helpericus designans tempus, quo operi suo scribendo insudabat, annum exprimit. — — Qua in controversia quid nobis veri similius videatur, in *Bibliotheca Benedictina* exponemus." (quae *Bibliotheca* lucem nunquam vidit).

Scilicet mirae illius perturbationis causam hanc ego esse arbitror, quod librarii doctiores Hilperici librum de computo describentes, scriptoris ipsius parum curiosi, numeros accommodabant ad eum ipsum annum, quo describendi munere fungebantur. Hinc probabile fit remotiorem quemque annum (quantum nunc scimus, annum 975.) veriorem esse. Certiora ne Ildephonsus quidem ab Arce, communis noster amicus, cui tantum debent literae propter aditum ad Codices Sangallenses tandem patefactum, nos edocet in Historia pagi Sangall. T. I. p. 278. et in Additamentis p. 45[1]).

Carm. 6.) *scrittore contemporaneo, narra, che a' suoi dì v' era chi diceva cavati, e miracolosamente restituiti gli occhj al papa; e chi lo negava, confessando solamente, che il tentativo fu fatto, ma non eseguito. Però riflette egli:*

Reddita sunt? Mirum est. Mirum est auferre nequisse.
Est tamen in dubio, hinc mirer an inde magis.

1) *Eckehard IV. war ein Zögling Notkers des Grosslefzigten — — und stand mit dem Professor Hilperich in St. Gallen den Schulen vor. — Er* (Eckehard) *starb um das Jahr* 1070. (21. *Octob.*) In *Additam.* affert notum Trithemii testimonium de Helperico. Quod dicit hunc cum Eckehardo scholis Sangallensibus praefuisse, non tam ex certis rerum monumentis, quam e coniectura ductum videtur, tum propter Trithemii rationem, qui Helperico altero loco assignat annum 1040., altero a. 1069., tum quia apud

Sed sic quoque, si Helpericum circa annum 975. floruisse existimabimus, is scriptor nostri carminis esse non potuit. Quapropter iam Canisius de Alcuino cogitabat; sed nemo eius argumentis nimis levibus commoveri se passus est inde a Barthio, qui primus contradixit. Aliam igitur viam iniit primus Hegewischius (*Geschichte der Regierung K. Karls des Gr.* S. 171.[1]), cui assensus est Dippoldtius (*Leben K. Karls des Gr.* S. 307.)

Iodocum Metzlerum de viris ill. Sangall. Cap. 45. 46. ed. Pez. p. 582. item sese excipiunt Helpericus et Eckerardus (sic) IV.

1) *Alcuin kann das Gedicht geschrieben haben, seiner Abwesenheit von Paderborn und seines Alters ungeachtet. Er hatte in seinem Alter noch immer einen muntern, feurigen Geist. Indessen aus dem Umstande, dass die Handschrift das Gedicht Alcuinen beylegt* (falsum hoc!), *folgt nicht, dass er wirklich der Verfasser sey Man hat es ihm vielleicht in den folgenden Jahrhunderten erst beygelegt* (nemo praeter Canisium), *da nur sein Name allein noch recht bekannt, die Namen aber der übrigen Dichter an Karls Hofe vergessen waren. Wenn Angilbert den Beynamen Homer um seiner Talente willen zur epischen Dichtkunst führte, so sind diese Verse wahrscheinlich von ihm. Doch sie mögen seyn, von wem sie wollen, so beweisen sie, daſs die Akademie an Karls Hofe die schönen Wissenschaften nicht bloſs zum Behuf der Religion cultivirte, daſs durch die Lesung der Alten doch einige Funken von Genie entzündet wurden. — — Man wird mit Vergnügen viele Züge von Genie und allenthalben eine gewisse Lebhaftigkeit der Darstellung bemerken u. s. w.* — — Iuvat etiam memorare, quae de nostro carmine disputavit Lorentz in Vita Alcuini pag. 217. *Unter den Alcuin zugeschriebenen Gedichten ist das über die Zusammenkunft Karls des Groſsen und des Papstes Leo III. zu bedeutend, um es unbemerkt unter den andern liegen zu lassen, die seinen Ruhm weder vermehren noch vermindern. Es verräth dieses Gedicht einen Kenner Virgils und kein unglückliches poëtisches Talent; allein der Inhalt ist so aufgefaſst, daſs es mehr einer jugendlichen Phantasie angehört, als dem Greisenalter Alcuins. — — Das Gedicht, von welchem Verfasser es auch herrühren mag, gehört zu den besten dieser Zeit und gibt ein Zeugniſs von dem Erfolge, welchen Karls Bestrebungen für die Bildung der heranwachsenden Generation hatten.*

In eandem cum Hegewischio coniecturam rursus incidit eamque confidentius etiam probare hominibus eruditis studuit Pertzius. Sed, ut verum fatear, argumenta eius perquam infirma mihi videntur. Scilicet e ductibus inscriptionis folii LVI. nulla unquam arte facies

. . . . helpertus = Anghelpertus

Primum nihil deest ante primam literam

f

—; deinde duo sunt vocabula, divise scripta, ut ex Canisio discere poterat Vir doctissimus; quod tertio loco et Hegewischius et Pertzius dicunt de Homeri cognomine Angilberto a Karolo indito, versus 74. mihi contra demonstrare videtur, hunc certe scriptorem eo cognomine nunquam usum esse. Nimis enim inepte dixisset:

Atque suis (Karoli) *dictis facundis cedit Homerus*

„verus scilicet, cuius tu mihi nomen imposuisti." Denique, quod in laudibus Berthae tributis tenerrimum coniugis affectum persentiscere sibi visus est Pertzius, equidem id in omnes sex Karoli filias, quarum mentio fit, peraeque quadrare arbitror. Fac enim, Angilbertum non Berthae, sed Gisalae vel Theodrudae maritum fuisse, pari iure coniugalem amorem in earum laudibus tacite significari tibi fingere poteris, quum eiusdem fere ponderis et coloris elogia sint singulis illis puellis tributa.

Nolim ergo sine ulla certa auctoritate, immo contra expressum testimonium illius, cui debetur inscriptio antiquior Cod. Turicensis, cogitare de Angilberto.

Sed ecce nova oritur difficultas ex Fabricii Bibl. med. et inf. Lat. Tom. I. p. 347.

„Levini (aliis Ferii) Hilperici, monachi Selingestadiensis, Carmen de congressu Caroli M. et Leonis Papae versibus hexametris cum notis Goldasti. Genevae 1600. 4. Primus ediderat Canisius Tom. VI. Antiq. Lectt. pag. 519.

(Tom. II. novae Ed. Basnag. p. 474. cet."[1]). Cfr. eundem Fabricium Tom. III. p. 203. Manifestum Fabricii errorem in eo, quod dicit a Canisio PRIMAM editionem curatam esse (anno 1604.), si quidem re vera Goldastus id iam quattuor ante annis publici iuris fecisset, scite reprehenderunt Benedictini *Hist. litt. de la France* T. IV. pag. 189. atque inde collegerunt Goldasti editionem nunquam prodisse.

Nihilominus certum est a Goldasto visum lectumque esse Codicem Sangallensem, qui nunc noster est, ex iis, quae supra de Iulii Sperati Philomela et Dynamii epistola memoravi; certum item est Goldastum anno 1600. cogitasse de Helperico edendo. Etenim haec ad eum Schobingerus scripsit: 20. die Iulii 1604. Ed. Thuelem. p. 54. „Quo autem desiderio exspectem non Einhardum tantum illum a te restitutum et ornatum, sed cetera quoque, de quibus catalogus nundinalis spem facit, FERII HILPERICI, Idacii, Fredegarii, verbis exprimi non potest. Tu, quaeso, etsi non absoluta sunt, saltem quicquid excusum est, quantum potes ad me mittere propera."

Iam praeter Fabricium auctores, non tamen nimis locupletes, testantur curatam esse a Goldasto Helperici editionem. Sunt autem hi:

1) Draudius in Bibliotheca classica Francof. 1625. Vol. I. pag. 1022. „HILPERICI de Carolo M. et Leone PP. cum animadversionibus Mel. Hayminsfelt Goldasti, varias Francorum et Alemannorum antiquitates continentibus. Aureliae in 4°. apud Crisp." — Nihil hic nec de Ferio nec de Levino, nihil de monacho Selingestadiensi. Annus 1600. haud notatur.

2) Lipenius in Bibl. philosoph. Vol. I. p. 253.

„LERIUS HILPERICUS de Carolo Magno et Leonis ad eum adventu ex editione Goldasti. Exstat cum Eginhardo.

---

[1]) Haec Fabricii, nulla litera addita, exscripsit Meuselius in Bibl. histor. Vol. VII. P. 1. p. 347.

Aurel. 4. 1600. En nova confusio! *Lerius* hic, non *Ferius*, non *Levinus:* index prorsus diversus et a Draudiano et a Fabriciano. Memoratur praeterea Eginhardus Goldasti anni 1600., qui pro certo nunquam exstitit.

3) Zedlerus in Lexico universali Vol. xi. p. 121.

Levini Hilperici de Carolo M. et Leone Papa narratio cum notis. Genevae 1600. fol. Rursus hic habes Levinum; reliquus index satis variat; forma etiam aliter indicatur, quam apud ceteros.

Meuselium et Dippoldtium ideo non numero, quia temere sua e Fabricio describentes novum et accuratum rei ipsius examen instituere neglexerunt.

Quattuor adversum testes mihi notos, Draudium, Lipenium, Fabricium, Zedlerum sive potius mercenarias huius hominis operas Helperici carmen a Goldasto editum nunquam fuisse contendo. Ante omnia internum, ut nunc aiunt, id est, ex re ipsa petitum testimonium, cuius generis semper apud prudentes maxima fuit auctoritas, proferam. Etenim idem ille Goldastus, qui pariter, ut facere solebat Barthius, infinitam paene lectionem scriptorum nondum editorum mediae in primis aetatis satis ambitiose ostentabat, in opusculis attente a me perlectis, quae ipse habeo: *S. Valeriani Cimeliensis Episcopi de Bono Disciplinae Sermo. S. Isidori Hispalensis Episcopi de Praelatis Fragmentum.* MELIOR HAMENVELTO (sic) GOLDASTVS *dedit cum collectaneis. In queis multa pariter multorum auctorum Patrum quam maxime, loca vel ante edita explicantur, emendantur, vel noviter eduntur*[1]). Excudebat[2]) Petrus de la Rouiere. mdci. 8. p. 157. — tum *Dosithei Magistri*

---

[1]) Facile agnosces in hisce verbis hominis ingenium.

[2]) Genevae, ubi tunc temporis degebat Goldastus. Exemplaris mei haec est subscriptio: *Bartholomaeus Schobingerus I. U. D.* (fautor is erat Goldasti) *suo Iosuae Malero* (sive *Pictorio*, cui debemus Lexicon Latino-germanicum, inter primaria nostri sermonis documenta annumerandum:) *D. D.*

Liber III. continens Divi Adriani Imp. Sententias et Epistolas. MELIOR HAMENVELTO GOLDASTVS *maximam partem auxit, emendavit, illustravit.* Excudebat Petrus de la Rouiere. MDCI. 8. pag. 72. — tum in *Paraeneticis* Goldasti. Insulae ad lacum Acronium *cet.* 1604. 4°., in Adnotationibus ad Petronium, denique ubi maxime id exspectabas, in Goldasti *animadversionibus in Eginhardum ab I. H. Schminckio*, Traiecti CIↃ. IↃ. CCXI. editis, ne unum quidem Helperici versiculum memorat; unde videmus eum, quum tamen eius carmen edere aliquando cuperet, multaque alia similia accurate lectitasset, huic nullam paene curam impendisse.

Deinde quo minus statuamus Helpericum editum esse a Goldasto, faciunt in primis verba Schobingeri, quae supra attulimus; unde manifestum fit libellum certe die 20. Iulii 1601. nondum prodisse: tum quod eadem vana exspectatio de Idacio Fredegarioque edendo mota est a critico nostro. Adde acrem Schobingeri expostulationem (Ep. 49. p. 63.) „Ubi vero fides tua de Valeriano, Dositheo[1]), Arnulpho et ceteris? quorum editionem tot literis iactatam, proximis nundinis Francofurtensibus nequicquam exspectavimus. † falsa spe non produceres, in ruborem me, qui de illis multa saepe apud amicos praedicavi, hac tua frustratione non dedisses! Culpa me Hercle non cares, sed dignus acerbiore monitione, amicitiae nostrae eam condono hac lege, ut quam primum eluas meque suspicione et sollicitudine liberes." — — Kal. Novemb. 1601. Deinde in Ep. 75. d. mense Martio anni 1602. Forsterus gratias agit de missis sibi a Goldasto Valeriano et Dositheo, de Helperico altum tenens silentium. Canisius porro anno 1604. quum primum productum a se e tenebris Helpericum gloriaretur, quomodo ignorare potuit, idem tanto ante praestitum esse ab aemulo? Barthius autem Advers. XLVI. 2. p. 2124. quam dubitanter loquitur! „Audio

1) De Valeriano et Dositheo fidem solvit eodem anno.

post haec scripta, inquit, eruditissimum Goldastum edidisse notas in hunc scriptorem, ut et Eginhardum, cui, ut homini sagacissimo et doctissimo praetereaque amico, libenti animo, quicquid fortasse ei occupatum attigi, rescribo; nam librum ipsum ubique quaesitum invenire non potui." Denique Senckenberg in Vita Goldasti praemissa Rerum Alamanic. Scriptt. Francof. et Lipsiae 1730. p. 21. „Anno MDCI. molitus est varia, quae an perfecerit necne, me quidem latet. *Idacium* puta et *Hilarianum* Ep. Thuel. XL. XLVI. *Ennodium* XLVI. *Arnulphum* XLIX. *Eginhardum*, *Ferium Helpericum*, (*Idacium* et) *Fredegarium* XLIV. Commentarium *de Chiliastis* XLVI." Omnino nemo Goldasti Helpericum vidit neque unquam is lucem vidit. Sed quum homo πολυπϱάγμιον illius unaque Eginhardi edendi consilium cepisset, indicem libri quasi mox prodituri in Catalogum nundinalem Francofurtensem anni 1600. inserendum curavit, ex quo nimia cum securitate eum varie mutatum descripsisse videntur Draudius, Lipenius, Fabricius, Zedlerus.

Verum quum Catalogo isto Francofurtensi sim destitutus, dubia aliquot remaneant necesse est, quae aliis solvenda relinquo. Ante omnia appelleturne ibi FERIUS, ut certe est etiam in Schobingeri Epistola, quem ab errore ignoti illius hominis Sec. XVI., qui in Codice nostro hoc nomen confinxit, deceptum esse apparet; an per operarum errorem LERIUS, ut habet Lipenius? an denique LEVINUS, ut bis est apud Fabricium itemque apud Zedlerum? an hic quoque merus typothetarum error? Et quidnam, quaeso, hoc sibi vult, LEVINUS? Audirem, si esset HELPERICUS LAEVINUS, id est, qui sinistra manu pro dextera uti solitus esset, *Linkhand*, ut simili illorum seculorum more cognominati sunt Walafridus STRABUS, Notkerus BALBULUS, Notkerus LABEO, Ermoldus NIGELLUS, Gaufridus GROSSUS, Hermannus CONTRACTUS, alii; sed LEVINUS nihil est, praesertim Helperici nomini praepositum. Verum hoc levius; sed in primis male me habet, quod Fabricio dicitur MONACHUS SELINGE-

STADIENSIS. Hoc profecto Fabricius, homo accuratus et religiosus, fingere non potuit, sed, nisi egregie fallor, ex eodem illo Catalogo Francofurtensi desumpsit; at unde tandem Goldasto innotuit, illius monasterii sodalem fuisse Helpericum? Ex nostro profecto Codice nequaquam; fuitne igitur alter poëmatis Codex Sangallensis nunc deperditus, in qua eius rei memoria exstabat? Nostri enim scriptor librarius, ut vidimus praesertim in Iulio Sperato et Columbano, opuscula saepe exhibet ἀνεπίγραφα, ita ut ex aliis dumtaxat Codd. Sangallensibus nomina suppleri potuerint tum a Goldasto, tum a Canisio. Complures autem Codd. post Goldasti tempora perierunt tum propter civile bellum anni 1712., tum furto ablati, ut certe post a. 1754. Persii antiquus Scholiasta. Anne aliunde pro certo rescivit Goldastus Helpericum in monasterio ab Eginhardo condito vixisse? an, falsa tantummodo coniectura ductus, Selingestadiensem monachum nobis fecit nostrum Helpericum ex Lupi Servati Hilperico, de quo mox sermo nobis faciendus erit? Equidem ignoro; nihil enim ea de re inveni neque in Mabillonii Annalibus Benedictinis neque in Io. Weinckensii Navarchia Seligenstadiana. Francofurti 1714. fol. atque omne dubium hoc nonnisi ab eo solvi posse reor, cui praesto sit Album fratrum illius monasterii, praeter Catalogum Francof. anni 1600. Quod si quidquam quod ad Helpericum spectaret, reperiretur in Bibliotheca Goldastiana Francof. 1641., quam mihi pariter negatam esse magno opere doleo, eius rei fortasse mentio aliqua exstaret vel apud Senckenbergium vel apud Fabricium. Certiora tamen ab aliis edoceri perquam cupio.

Verum, quod possumus, amovendum est tandem mirum atque inauditum illud FERII praenomen nec Latinum neque Germanicum, quod nobis homo semidoctus excogitavit, quem in aliis etiam opusculorum Codicis nostri inscriptionibus errasse vidimus. Etenim si vel maxime antiquior illa manus scripsisset

fer̄

Ferus id esset, neutiquam Ferius. At, quum Codicem eruditissimo filio tuo, optime Lassbergi, monstrarem, primus is, qua est sagacitate, perspexit verbum controversum ita legendum esse

fec̄

unde, quod omnium maxime consentaneum est, ultro prodit:

fecit Helpericus.

Sed quisnam iste Karolinae aetatis Helpericus? Unum equidem novi, cui tamen nostrum poëma tribui vix potest, Hilpericum pictorem apud Lupum Servatum Epist. 60. Ed. Antverp. pag. 102. „Abbas monasterii, quod Germanice Saligstat appellatur — — — obsecrat, ut tabulas, quas Hilpericus pictor beatis vovit martyribus, hebdomada secunda post Pascha ipsi dirigere dignemini." Ex his ipsis verbis suspicio mihi orta est, vel Goldastum ipsum, si tamen is in Catalogum Francof. inseri iussit vocabula *Monachi Selingestadiensis*, vel etiam postmodo Fabricium propter vicinitatem vocabulorum *Saligstat* et *Hilpericus* apud Lupum, istum in errorem incidisse, ut alteruter inde nobis eliceret, nostrum Helpericum sodalem fuisse monasterii Selingestadiensis. Unum igitur hoc lucramur, ut ex Lupo doceamur, haud inauditum tunc temporis Hilperici nomen fuisse. Est etiam Elfricus monachus, cuius exstat Epistola „de quaestione, cur natalitia Sanctorum in laetitia, Parasceue vero in tristitia celebremus" post Pseudoalcuini de divinis Officiis Caput xviii. Ed. Froben. Vol. ii. p. 480. Verum quidquid iudicabimus de libro illo a nonnullis olim Alcuino attributo, id saltem pro certo affirmare possumus, epistolam illam ad Alcuinum ipsum scriptam non esse, quum ita desinat: „Importunitati tuae, dulcissime fili, etsi non ut debui, ut potui tamen satisfacere institi, quamquam difficultate quaestionis cogente, verbosior forsitan exstiti."

Etenim monachus eiusmodi Alcuinum nunquam *dilectissimum filium* appellare potuit. Rectius ergo iam a Mabillonio epistola illa relata est ad Hilpericum Grandivallensem, ut eum nominat, ut alii, Sangallensem Sec. X., de quo supra sermo fuit.

Quid? si incassum haec omnia disputavimus? Quidni enim dicat aliquis, verba Codicis nostri *fecit Helpericus* pertinere non ad nostrum poëma, sed ad Elegiam de Philomela proxime praecedentem? Fateor enim non minus fictitium mihi videri Iulii Sperati V. C. nomen in altero Cod. Sangallensi ei praepositum, quam Albi Ovidii Iuventini, Leonis Protonotarii sacri Palatii Bizantei *(sic)*, aliaque in Goldasti opusculis Pseudoovidianis. Quamquam propter ipsum intervallum inter Elegiam et inscriptionem probabilius videtur ad nostrum carmen eam relatam esse a scriptore.

Iam quid quaeso restat, nisi ut humanae infirmitatis memores fateamur incertum esse omnino, quis hoc carmen composuerit? qui id Angilberto tribuant, hoc precario facere ac firmis argumentis destitui; qui Helpericum aliquem Karoli aequalem diversum utique et a Lupi Hilperico pictore et ab Hilperico monacho Grandivallensi vel Sangallensi pro scriptore huius poëmatis habeant, veri similiorem sane, etsi non omni dubio carentem rationem sequi proper qualemcunque auctoritatem inscriptionis Cod. Turicensis antiquiorem. Tuum ea de re iudicium, mi Lassbergi, ante omnia exspecto. Vale et me, ut facis, ama.

D. Turici Kal. Novembr. MDCCCXXXI.

Ne pagella haec vacet, inserimus nunquam antea editum Iacobi prologum in Q. Serenum Sammonicum:

Herbarum species, pulchros cum germine flores
Virgultique comas lente radice revulsas,
Si tu lentifluos viridi de cortice sucos
Atque salutiferas vires vel nomina nosse
Iure velis, animis satagis servare secundis,
Hunc librum legito, subtili mente revolve;
Sic rerum poteris gnarus cognoscere causas;
Quicquid humus gignit vel quid fert marmora ponti,
Quicquid terra fovet, quae magni glarea Nili,
Squamigerasque vagas vitreo sub fonte catervas,
Quicquid ad astra volat, quae reptant pectore terras,
Quae vescunt rapido frendentes aëra saltu,
Messis aromaticae maniplos Oriente relatos,
Balsama gratiflua fragrantis pistica nardi:
Quin etiam poteris placito languentibus haustu
A domino dominante piam praestare medellam.
Inclitus, invictum Christi virtute tropheum
Qui regit, haec fieri Karlus rex namque modestus
Mandat, ut in seclis rutilet sophisma futuris;
Legit enim famulus stilo animoque Iacobus.

GEORGII HEINRICI PERTZII

PRAEFATIO.

Angilbertus, sive Engelbertus, bono inter Francos loco natus[1]) atque paene „ab ipsis infantiae rudimentis in palatio Karoli educatus"[2]), mox intimis eius consiliis adhibebatur, et tanti ab eo habitus est, ut maxima ei regni negotia committerentur. Legimus enim, eum Pippini regis Italiae primicerium vel praecipuum consiliarium fuisse, tempore quo primam cum Alcuino amicitiam condixerat. Ex Italia redux, Bertae, regis ex Hildegarde filiae, amore devinctus, puellam patre inscio, vel certe dissimulante[3]), uxorem duxit, ex eaque Hartnidum et Nithardum filios suscepit[4]). Quo etiam tempore Maritimae praefectus, Danos vicisse traditur regeque consentiente monachum professus est[5]). Nihilominus tamen et postea amplissima munia subiit, et regis auricularius, manualis et capellae minister audit. Anno 792 legatus Felicem Orgellitanum episcopum Romam deduxit[6]) et anno 794 iam monasterii Contulensis sive S. Richarii abbas, capitula synodi Francofurtensis adversus imagines Hadriano papae, quem maximi faciebat[7]), offerendas suscepit. Anno 796 rex „dilectum abbatem suum"[8]) tertiae legationi eique maximi momenti delegit[9]), nempe ut et populum Romanum novis ad

---

[1]) Nithardi hist. l. IV. c. 5. [2]) Hadriani I. epistola ad Karolum. [3]) Einhardi vita K. c. 19. [4]) Nithard. l. c. [5]) Angilberti vita auct. Hariulfo et Anschero. [6]) Ann. Lauriss. [7]) Alcuini ep. 15. [8]) cf. Mabillon. Acta SS. Sec. IV. I. p. 98. [9]) Ann. Einhardi et Lauriss.

fidem et subiectionem regi debitam sacramentis constringeret, et res ecclesiae cum Leone III., Hadriani eo anno defuncti successore, componeret[1]). Quod quum secundum votum exegisset, anno 800 regem amicum monasterio suo, maximis impensis reaedificato et supellectili 15000 librarum ornato, suscepit, indeque Romam comitatus, coenobio suo privilegium a Leone papa impetrasse dicitur[2]). Anno 811 breviario Karoli subscripsit, amico tamen nonnisi paucis diebus supervixit. Obiit enim a. d. 12 Kal. Martias a. 814.

Quantus Angilbertus et in bellicis expeditionibus et in re publica administranda fuerit, qualem regi amicisque se exhibuerit, ex paucis, quae de eo supersunt, facile colligimus. Quod doctrinam eius animique cultum attinet, Alcuinus in epistola nondum edita Leoni III. ita scribit: „Anno priori per Angilbertum, filium eruditionis nostrae, virum prudentem et omnibus amicis fidelem et sanctae Dei ecclesiae profectui valde devotum . . . deprecatus sum" cet., quum eum in litteris anterioribus „filium suum carissimum" nuncupasset. Unde Angilbertum, aeque ac Karolum, Alcuino magistro usum fuisse intelligimus. Alcuino teste[3]) Petrum etiam Pisanum, in aula regis grammaticam docentem, aut ibi, aut in Italia audivit. Tanto vero ardore studiis sese addixit, ut non solum bibliothecam ducentorum codicum colligeret[4]), sed poëta inter suos eximius evaderet. Ut Karolus Davidem, ita ipse Homerum in exemplum et nomen sibi elegit, ea mente, ut, quemadmodum Chius vates Achillem, ita ipse amicum suum epico carmine celebraret. Qua spe fretus, rex in epistola ad eum, unica quae supersit, Homerum suum eum appellat. Sed fata operibus eius inviderunt. Nam praeter paucos elegos et tres epistolas ad Arnonem archiepiscopum Iuvanensem scriptas et a Mabillonio

1) Karoli Epistolae ad Leonem III. et ad Homerum. 2) Petavius apud Mabill. l. c. 3) Alcuini epist. 55. Frob. 4) ipse in Chronico Centul.

et Frobenio in editione operum Alcuini vulgatas, nonnisi fragmentum epici carminis ad nos devenit, quod hic primum auctori suo vindicatur. Vulgavit id Canisius Tom. II. Antiquae lectionis pag. 521 ex codice bibliothecae S. Galli anno 1823 quum praesens in eum inquirerem non amplius superstite, et Alcuino adscripsit, quamvis, ut Basnagius recte observat, carmen a teste oculato colloquii Karoli et Leonis a. 799 celebrati compositum, nec Alcuino Turonibus aegrotanti et iter Italicum deprecanti tribui queat, nec Hilperico monacho Sangallensi seculo X. florenti, cuius nomen Canisius in inscriptione codicis obsoleta sibi deprehendisse videbatur. Sed ductus eius obscuros nec typis nostris plane exprimendos *(vide supra)* qui animo oculisque paullo intentioribus inspexerit Anghelpertus vel Enghelpertus legendos esse facile confitebitur, quum et in ductibus illis unum, non duo nomina latere et posteriorem partem . . . *helpertus* explicandam, et anteriorem obscuram fuisse, lacuna inter „r" et „h" obvia satis indicet. Cuinam autem . . . *helperto* epicum de Karolo Magno carmen libentius tribueris, quam ei, quem rex Homerum suum vocare consueverat, Anghelperto?

Quicquid alii inde sentiant, haec Niebuhrio meo placitura confido. Et animadvertet, quando lecturus est, vir sagacissimus, carmen ipsum mihi adsentiri. Ex filiis enim Karoli Pippinus, ex filiabus Berta laudibus efferuntur, quae et amicum produnt, et sacros mariti ignes latere non sinunt.

Anteriores duos operis libros excidisse, versus tertius quartusque indicant, in fine secundi postea res Orientis cecinerat (cf. vers. 10 — 12). Nec tertio libro carmen absolvitur.

In edendo opere Canisium secutus, pauca vitia, maiorem partem iam ab ipso in margine correcta, sustuli, et distinctiones sermonis omissas, sed perquam necessarias, inserui. Basnagius in altera Lectionum Antiquarum editione, textum fere intactum reliquerat, Chesnius Tomo II. p. 188. Scriptt. Franc. Canisium repetens pauca menda tacite sustulit, Bou-

quetus T. V. p. 388. textum Chesnianum nonnunquam licenter correctum, nonnunquam novis vitiis respersum, primus bene distinxit, et annotationibus illustravit, quibus tamen lectores nostros facile carituros esse censui. Taceo Frobenii inter opera Alcuini editionem, quippe quae tota ex Bouquetiana pendeat.

(Vers. 12. *Europae quo celsa pharus* cet. explicandus est e v. 169. significaturque Karolus ipse a poëta celebrandus. Neutiquam sermo est de rebus Orientis, ut opinatus est Pertzius. Or.)

HELPERICI

KAROLUS MAGNUS ET LEO PAPA.

Rursus in ambiguos gravis admonet anchora calles
Vela dare, incertis classem concredere ventis;
Languida quae geminas superarunt membra procellas,
Ad nova bella iubet lassos reparare lacertos,
Victricemque manum gravidis consurgere remis,
Quo vocat aura levis, placidis superare profundum
Flatibus, aequoreas temptando classibus undas,
Tendere ad ignotas celerique per aequora terras
Cursu et praecipites scopulos pulsare natatu.
Vela movet placidus tremulis cita flatibus Eurus,
Cogens me rapido nunc tendere in ardua gressu,
Europae quo celsa pharus cum luce coruscat.
Spargit ad astra suum Karolus rex nomen opimum;
Sol nitet ecce suis radiis; sic denique David
Inlustrat magno pietatis lumine terras.
Res tamen una duos variando separat istos,
Et vice disiuncti mutata saepe feruntur:
Illum aliquando tegunt nimboso nubila tractu,
Hunc ullae nunquam possunt variare procellae;
Ille caret proprio bissenis lumine horis,
Iste suam aeterno conservat sidere lucem;
Pace nitet laeta, pariter pietate redundans
Nescit habere pio lapsurum lumine casum.
Vultu hilari, ore nitet, semper quoque fronte serena

Fulget et aeterno pietatis lumine Phoebum
Vincit, ab occasu dispergens nomen in ortum.
Armipotens Karolus, victor pius atque triumphans
Rex, cunctos superat reges bonitate per orbem;
Iustior est cunctis cunctisque potentior exstat.
Ille duces magno et comites inlustrat amore;
Blandus adest iustis, hilarem se praebet ad omnes;
Iustitiae cultor cultores diligit omnes,
Iustus in exemplum cunctis se donat habendum.
Ingreditur prior ipse, sequi quo se cupit omnes;
Temptat iter, facile cuncti quo iure sequantur.
Iniustos merito duris constringit habenis,
Atque iugum imponit gravidum cervice superbis.
Discere iustitiam divinis admonet actis;
Impia colla premit rigidis constricta catenis,
Et docet altithroni praecepta implere tonantis.
Quod mens laeva vetat suadendo animusque sinister,
Hoc saltim cupiant implere timore coacti;
Quod non sponte prius miseri fecere rebelles,
Exercere student avide instimulante timore.
Qui pius esse fero iam dudum more repugnat,
Fitque timore pio pius impius ille coactus.
Erigit hinc humiles humilesque extollit in altum;
Prona colit relevans ad celsa cacumina colla;
Ora trahit summissa gradus rex iustus ad altos,
Colla suprema premit, subdens excelsa petentes;
Et quantum miseri conantur surgere ad alta,
Rursus ad ima facit merito descendere tantum.
Strenuus ingenio Karolus sapiensque, modestus,
Insignis studio, resplendens mente sagaci,
Nomen et hoc merito Karolus sortitur in orbe.
Haec cara est populis lux et sapientia terris;
Omne decus pariter famulis, ornatus et omnis
Exstat, honor populi et plebis spes, gloria summa
Nominis. Hunc olim terris promisit origo

Tam clarum ingenio, meritis quam clarus opimis
Fulget in orbe potens, prudens gnarusque, modestus,
Inluster, facilis, doctus, bonus, aptus, honestus,
Mitis, praecipuus, iustus, pius, inclitus heros,
Rex, rector, venerandus apex, augustus, opimus,
Arbiter insignis, iudex, miserator egenum,
Pacificus, largus, solers hilarisque, venustus.
Grammaticae doctor constat praelucidus artis;
Nullo unquam fuerat tam clarus tempore lector;
Rethorica insignis vegetat praeceptor in arte;
Summus apex regum, summus quoque in orbe sophista;
Exstat et orator, facundo famine pollens;
Inclita nam superat praeclari dicta Catonis,
Vincit et eloquii magnum dulcedine Marcum,
Atque suis dictis facundus cedit Homerus,
Et priscos superat dialectica in arte magistros.
Quattuor ast alias artes quae iure sequuntur,
Discernit simili rerum ratione magistra;
Doctus in his etiamque modo rex floret eodem.
Solus iter meruit doctrinae adipiscier omne,
Occultas penetrare vias, mysteria cuncta
Nosse, Deo seriem revelante ab origine rerum.
Omnem quippe viam doctrinae invenit et omnem
Artis opacum aditum secretaque clancula verba.
Omnia solus enim meruit pius ille talenta
Suscipere et cunctis praefertur in arte magistris:
Scilicet imperii ut quantum rex culmine reges
Excellit, tantum cunctis praeponitur arte.
Quis poterit tanti praeconia promere regis,
Quisve putat sermone rudi se principis acta
Posse referre, senes quum vincant omnia vates?
Exsuperatque meum ingenium iustissimus actis
Rex Karolus, caput orbis, amor populique decusque,
Europae venerandus apex, pater optimus, heros,
Augustus: sed et urbe potens, ubi Roma secunda

Flore novo, ingenti, magna consurgit ad alta
Mole, tholis muro praecelsis sidera tangens.
Stat pius arce procul Karolus loca singula signans,
Altaque disponens venturae moenia Romae.
Hic iubet esse forum, sanctum quoque iure senatum,
Ius populi et leges ubi sacraque iussa capessant.
Insistitque operosa cohors; pars apta columnis
Saxa secat rigidis, arcem molitur in altum;
Ast alii rupes manibus subvolvere certant,
Effodiunt portus, statuuntque profunda theatri
Fundamenta, tholis includunt atria celsis.
Hic alii thermas calidas reperire laborant,
Balnea sponte sua ferventia mole recludunt,
Marmoreis gradibus speciosa sedilia pangunt.
Fons nimio bullentis aquae fervere calore
Non cessat; partes rivos deducit in omnes
Urbis. Et aeterni hic alii bene regis amoenum
Construere ingenti templum molimine certant.
Scandit ad astra domus muris sacrata politis.
Pars super in summis populi procul arcibus ardens
Saxa locat, solido coniungens marmora nexu;
Altera stat gradibus portantum sorte receptans
Pars onera atque avidis manibus praedura ministrat;
Saxa alii subeunt, volvunt ad moenia rupes;
Ingentes passim fasces cervice reflexa
Deponunt humeris, valido sub pondere fessi;
Plaustraque dant sonitum; vastus fragor aethera pulsat;
Fit strepitus, magna consurgit stridor in urbe:
Itque reditque operosa cohors, diffusa per urbem
Materiam Romae certatim congregat altae.
Hic alii arma parant, acuentes utile ferrum,
Marmora quo possunt sculpi et quo saxa secari.
Fervet opus; velutique solent aestate, futurae,
Pulchra, hiemis non inmemores, alimenta ciborum
Quum facere, ore legunt carpentes floscula apesque

Per latices, per thyma volant stridentibus alis;
Floribus insidunt aliae, praedaque redire
Accepta studeant, redolentia castra revisant;
Aut foetus aliae certant educere adultos,
Aut quum nectareas componunt ordine cellas,
Roscida stipantes sinuoso poplite mella:
Haud aliter lata Franci spatiantur in urbe.

Non procul excelsa nemus est et amoena virecta
Lucus ab urbe virens et prata recentia rivis
Obtinet in medio, multis circumsita muris.
Hic amnem circumvolitat genus omne volucrum;
In ripis resident rimantes pascua rostris;
Nunc procul in medio summergunt flumine sese,
Nunc quoque praecipiti properant ad litora cursu;
Hosque toros iuxta cervorum pascitur agmen
Riparum in longa per amoenaque pascua valle.
Huc illuc timido discurrit damula gressu;
Fronde retecta vacat; passim genus omne ferarum
His latet in silvis. Etenim nemora inter opaca
Hic pater adsidue Karolus, venerabilis heros,
Exercere solet gratos per gramina ludos,
Atque agitare feras canibus tremulisque sagittis
Sternere cornigeram nigraque sub arbore turbam.
Exoritur radiis quum primum Phoebus honestis,
Et iubar ignicomo perlustrat lumine montes
Praecipites scopulos et summa cacumina tangens,
Silvarum thalamo properat dilecta iuventus.
Regali, parte ex omni collecta, resistit
Nobilium manus exspectans in limine primo.
Fit strepitus, clamor consurgit vastus in urbe;
Desuper ex alto respondent culmine tecta
Aerea; praecipuus conspirat stridor in auras;
Hinnit equusque ad equum, conclamat turba pedestris,
Inque vicem proprio revocatur pignore quisque
Ad dominum famulusque suum sequiturque vocantem.

Hic phaleratus equus gravidis auroque metallis,
Terga recepturus regem in sua gaudet opimum;
Stans movet acre caput, montes cupit ire per altos.
Egreditur tandem; circum stipante caterva,
Europae veneranda pharus se prodit ad auram.
Enitet eximio vultu facieque coruscat;
Nobile namque caput pretioso amplectitur auro
Rex Karolus; cunctos humeris supereminet altis.
Lata ferunt iuvenes ferro venabula acuto,
Retia quadruplici coniunctaque linea limbo,
Atque canes avidos ducunt per colla revinctos,
Ad praedam faciles furiosoque ore molossos.
  Iam pater excelsi Karolus sacra limina templi
Deseruit; mox castra ducum comitesque priores
Movêre; alte urbis panduntur classica portae;
Cornua concrepitant, fragor ingens atria complet,
Praecipitique ruunt iuvenes ad litora cursu.
Hinc thalamo cunctata diu regina superbo
Procedit, multa circum comitante caterva,
Liutgardis Karoli pulcherrima nomine coniux.
Fulgida colla nitent roseo simulata colore;
Cedit opimum etenim redimitis crinibus ostrum;
Candida purpureis cinguntur tempora vittis;
Aurea fila ligant chlamydem, capitique byrillus
Inseritur, radians claro diadema metallo
Enitet et vestis biscocco purpura bysso;
Ornantur variis radiantia colla lapillis.
Agmine se iungit pulchris stipata puellis;
Magnanimos inter proceres regina superbo
Gaudet equo, et iuvenum circum manus emicat ardens.
Cetera regalem pubes pulcherrima prolem
Exspectat foribus. Turmis comitatus opimis,
More patri et vultu similis, procedere tandem
Temptat item Karolus, genitoris nomine pollens:
Terga ferocis equi solito de more fatigat.

Hinc Pippinus avi sequitur de nomine dictus,
Restaurat proprii qui publica gesta parentis,
Bellipotens, animosus heros, fortissimus armis,
Seque suos inter famulos fert ductor opimum.
Coetibus innumeris circumdatus, enitet alto
Vectus equo, eximio vultu facieque coruscans,
Tempora cui rutilo cinguntur pulchra metallo.
Circumfusa ruit comitantum turba rotatu
Per patulas portas; certatim exire senatus
Conatur magno cum murmuris inde tumultu.
Cornua rauca sonant, avido latratibus auras
Complent ore canes, fragor ignea sidera pulsat.
Inde puellarum sequitur mox ordo coruscus;
Rhodrud ante alias rapidoque invecta puellas
Fulget equo et placidum prior occupat ordine gressum.
Immixta est niveis amethystina vitta capillis,
Ordinibus variis gemmarum luce coruscans;
Namque corona caput pretiosis aurea gemmis
Implicat et pulchrum subnectit fibula amictum.
Virgineos interque choros turbamque sequentem
Proxima Berta nitet, multis sociata puellis.
Voce, virili animo, habitù vultuque corusco,
Os, mores, oculos imitantia pectora patris
Fert; caput aurato diademate cingitur almum.
Aurea se niveis commiscent fila capillis;
Lactea quippe ferunt pretiosam colla murinam.
Ornatur vestis variis speciosa lapillis
Ordine, gemmarum numerosa luce coruscat
Bractea, chrysolithis ornantur tegmina gemmis.
Gisala post istas sequitur candore coruscans;
Virgineo comitata choro; micat aurea proles.
Tecta melocineo fulgescit femina amictu,
Mollia purpureis rutilant velamina filis,
Vox, facies, crines radianti luce coruscant.
Splendida colla nitent roseo inflammata rubore,

Argento stat facta manus, frons aurea fulget,
Et magnum vincunt oculorum lumina Phoebum.
Laeta super rapidum conscendit virgo caballum;
Frena superbus equus spumantia dente volutat.
Hinc comitata viris, illinc stipata puellis
Innumeris circum, circumstrepit agmen equorum.
His cumulata bonis praecelsa solaria linquens,
Virgo pudica pii sequitur vestigia regis.
Rhodhaid inde micat multis ornata metallis;
Agmen ovans rapido praecedit femina gressu.
Pectora, colla, comae lucent variata lapillis,
Serica et ex humeris dependent pallia pulchris;
Inseritur capiti nitido gemmata corona;
Stringit acus chlamydem gemmatis aurea bullis.
Pulchra vehetur equo Rhodhaidis virgo superbo,
Quo latitare solent hirsuto tergore cervi.
Interea egreditur vultu Theodrada corusco,
Fronte venusta nitens et cedit crinibus aurum;
Pulchra peregrinis conlucent colla zmaragdis,
Pes, manus, ora, genae, cervix radiata nitescit.
Clara serenatis fulgescunt lumina flammis,
Pallia permixtis lucent hyacinthina talpis,
Clara Sophocleoque ornatur virgo cothurno.
Turba puellarum circumstrepit agmine denso,
Atque venusta cohors procerum nitet ordine longo.
Et sedet in niveo pulcherrima virgo caballo;
Acri fertur equo Karoli pia filia regis;
In nemus ire parat, sacrata palatia linquens.
Agminis extremam partem sibi vindicat Hiltrud,
Illi sorte datur dehinc ultimus ordo senatûm;
Ipsa autem medio fulgescit in agmine virgo:
Temperat expositum spatii moderamine gressum
Litorei iuxta ora soli. Plebs inclita tendit
Venandi studio, regique exercitus omnis
Iam sociatus adest; mox ferrea vincla rapacum

Cuncta cadunt resoluta canum, lustra alta ferarum
Nare sagace petunt, quaerentes rite rapinam,
Et lustrant avidi condensa frutecta molossi;
Diffusi errantes in opacis saltibus, omnes
Sanguineam silvis praedam reperire laborant.
Cingit eques saltum, fugitivis obvia turbis
Turba paratur; aper fulvus fit valle repertus;
Mox nemus insiliunt equites et voce sequuntur;
Praedam agiles certant fugitivam agitare molossi
Et sparsi currunt per opaca silentia silvae.
Iste tacendo volat celerem post rite rapinam,
Ille autem vacuas complet latratibus auras;
Errat hic umbrosis delusus odore frutectis,
Alter in alterius hinc saltibus inde rotatur;
Ille videt, hic praedam sentit odore fugacem.
Fit strepitus, silvis consurgit stridor in imis,
Et tuba magnanimos incendit ad acra molossos
Proelia, dirus aper quo se fert dente minaci,
Arboribusque excussa cadunt folia undique ab altis:
Per loca vasta fugit rapidoque per invia cursu
Tendit iter, frendens tenet alta cacumina montis;
Cursibus exhaustus lasso pede constat anhelus.
Iam parat arma necis canibus turbamque sequacem
Sternit et horrendo rabidos rotat ore molossos.
Mox Karolus pater ipse volat mediumque per agmen
Ocior aligeris avibus forat ense ferinum
Pectus et intinguens gelidum in praecordia ferrum
Corruit ille, vomens vitam cum sanguine mixto,
In flava moriens seseque volutat harena.
Regalis monte haec proles speculatur ab alto.
Mox aliam Karolus praedam iubet inde movere,
Et socios verbis claros ita fatur amicis:
„Hanc fortuna diem nobis deducere laetam
Annuit auguriis et nostra incepta secundat;
Ergo favete omnes istum exercendo laborem,

Venandi studio curamque adhibete benignam!"
Vix haec dixit heros, subito fremit agmen ab alto
Monte; nemus repetunt proceres hinc inde ruentes
Praeceleres agitare feras. Pater inclitus ipse
Ante volans Karolus manibus fert missile ferrum,
Sternit et innumeras porcorum strage catervas;
Corpora multa cadunt passim prostrata ferarum.
Tunc Karolus praedam proceres partitur in omnes,
Et spoliis onerat gravidis sociosque sequaces.
Inde reflectit iter, campum repetensque priorem,
Frondosum lucum, patulis fontesque recentes
Ramis praetextos et opacam frigoris umbram.
Aurea hic terris passim tentoria fixa
Stant, pomposa ducum hinc inde et castra nitescunt.
Laeta parat Karolus sociis convivia laetus;
Convocat huc omnes longaevos ordine patres,
Maturum populum natum melioribus annis,
Impubem pariter plebem castasque puellas
Conlocat; inde iubet mensis donare Falerna.
Sol fugit interea, lucem nox occupat umbris;
Membra solo exoptant placidum defessa soporem.
Portentum rex triste videt monstrumque nefandum
In somnis, summum Romanae adstare Leonem
Urbis pontificem maestosque effundere fletus,
Squalentes oculos, maculatum sanguine vultum,
Truncatam linguam horrendaque multa gerentem
Vulnera. Sollicitos gelidus pavor occupat artus
Augusti. Rapidos Romana ad moenia missos
Tres iubet ire, foret si sanus pastor opimus
Explorare gregis; quid tristia somnia signent
Miraturque; piam curam gerit ille fidelem.
Festinant rapidis legati passibus; ipse
Saxoniam repetit cum multis milibus heros.
Agmina conveniunt diversis partibus orbis,
Cognataeque acies properant super ardua Rheni

Litora, Saxonum populum domitare rebellem
Et saevam gelido gentem rescindere ferro.
Culmina iam cernunt urbis procul ardua Romae
Optatumque vident legati a monte theatrum;
Tristior occurrit vulgataque fama repente,
Lumen apostolicum crudeli funere plagis
Occubuisse feris; nam serpens saevus et atrox
Qui solet unanimes bello committere fratres,
Semína pestiferi iactare nocenda veneni,
Suasit in innocuum caecatis mentibus omnes
Saevire et famulos dominum trucidare potentem.
Dira animis inlapsa lues et sensibus haesit;
Virus pestiferum concepit pectus anhelum.
Insidias posuere viro mortemque parabant
Insonti tristemque necem; plebs impia telis
Pastorem in proprium seseque armavit iniquis.
Dum solitum transisset iter Leo papa benignus,
Et sacra Laurentî peteret pede limina sancti,
Plebs demens populusque vecors, male sana iuventus,
Fustibus et gladiis, nudatis ensibus, omnis
Inruit in summum pastorem turba tumultu,
Caeca furens, subito diris commota procellis.
Sacra sacerdotis torquebat membra flagellis;
Unius in casum multorum saevit hiatus;
Carnifices geminas traxerunt fronte fenestras,
Et celerem abscindunt lacerato corpore linguam.
Pontificem tantum sese extinxisse putabat
Plebs pietate carens atrisque infecta venenis;
Sed manus alma Patris oculis medicamina ademptis
Obtulit atque novo reparavit lumine vultum.
Ora peregrinos stupuerunt pallida visus,
Explicat et celerem truncataque lingua loquellam.
Cum sociis magnus paucis fugit inde sacerdos;
Clam petere auxilium Spolitinam tendit ad urbem.
A duce cum magno fit hîc susceptus honore

Winigiso et multis cumulatus in ordine donis.
Audit Italiam missos venisse fideles
Francorum et solitam Romanis ferre salutem
Non voluisse, suum quoniam sine culpa potentem
Suppliciis dominum cruciassent. Mox manifestos
Ille venire viros ad se iubet, atque ita fari
Incipit — et truncata brevi infra lingua palatum
Cursu errat — placidam depromens voce loquellam:
„Vos ego per caram Karoli coniuro salutem
Regis, ut eiectum me defendatis in armis,
Finibus a propriis et sedis honore repulsum;
Me quoque vobiscum ad vestrum ducatis opimum
Regem et praecipui liceat mihi principis ora
Cernere, qui iusto nostros examinet actus
Iudicio et vindex saevissima verbera nostra
Vindicet insignis, luctus gemitumque meumque
Allevet, addendo nostrae solatia vitae.
Ergo agite et, vestra si nunc mihi gratia certa est,
Eripite his terris, David me obtutibus almis
Praesentate, viri; iam nos mora nulla tenendo
Inpediat, gelidas superemus cursibus Alpes."
Haec Leo papa. Cohors Francorum mixta Latinis
Obstipuit, Domino grates laudesque rependens,
Qui nova pontifici reddebat lumina summo,
Et desperatam condebat in ore loquellam.
At Germar contra breviter sic vocibus usus:
„Lux, decus egregium, populorum lumen amoenum,
Pastor apostolicus, venerandus in orbe sacerdos,
Te mandare decet, quodcunque in corde volutas;
Nos parere tuis fas est, pater optime, iussis!"
Inde iter incipiunt laeti rapidisque metiri
Passibus; Augusti iuvat ire ad limina magni,
Difficiles temptare vias callemque severum
Vincere; certatim diversa per oppida pergunt.
Innumerae occurrunt passim ad spectacula turbae,

Litora, Saxonum populum domitare rebellem
Et saevam gelido gentem rescindere ferro.
Culmina iam cernunt urbis procul ardua Romae
Optatumque vident legati a monte theatrum;
Tristior occurrit vulgataque fama repente,
Lumen apostolicum crudeli funere plagis
Occubuisse feris; nam serpens saevus et atrox
Qui solet unanimes bello committere fratres,
Semina pestiferi iactare nocenda veneni,
Suasit in innocuum caecatis mentibus omnes
Saevire et famulos dominum trucidare potentem.
Dira animis inlapsa lues et sensibus haesit;
Virus pestiferum concepit pectus anhelum.
Insidias posuere viro mortemque parabant
Insonti tristemque necem; plebs impia telis
Pastorem in proprium seseque armavit iniquis.
Dum solitum transisset iter Leo papa benignus,
Et sacra Laurentî peteret pede limina sancti,
Plebs demens populusque vecors, male sana iuventus,
Fustibus et gladiis, nudatis ensibus, omnis
Inruit in summum pastorem turba tumultu,
Caeca furens, subito diris commota procellis.
Sacra sacerdotis torquebat membra flagellis;
Unius in casum multorum saevit hiatus;
Carnifices geminas traxerunt fronte fenestras,
Et celerem abscindunt lacerato corpore linguam.
Pontificem tantum sese extinxisse putabat
Plebs pietate carens atrisque infecta venenis;
Sed manus alma Patris oculis medicamina ademptis
Obtulit atque novo reparavit lumine vultum.
Ora peregrinos stupuerunt pallida visus,
Explicat et celerem truncataque lingua loquellam.
Cum sociis magnus paucis fugit inde sacerdos;
Clam petere auxilium Spolitinam tendit ad urbem.
A duce cum magno fit hîc susceptus honore

Hinc iubet extemplo Pippinum occurrere magno
Pastori, pacem et placidam portare salutem.
Obvius ire parat genitoris iussa facessens
Pippinus; centum laetus cum milibus ibit.
Ipse sedet solio Karolus rex iustus in alto,
Dans leges patriis, et regni foedera firmat.
Utque videt patulo adversum se tendere campo
Pastor apostolicus centum cum milibus altum
Pippinum, geminas extendit ad aethera palmas,
Pro populoque preces effundens pectore largas.
Ante sacerdotem ter summum exercitus omnis
Sternitur et supplex vulgus ter fusus adorat.
Mox Leo papa solo Pippinum more benigno
Excipit et, sacris circumdans colla lacertis,
Haeret in amplexuque diu placida oscula libans.
It comes et supra se confert vertice toto
Pippinus; varias miscent sermone loquellas
Inque vicem diversa levant problemata verbo.
Rex pius interea solium conscendit et omnem
Alloquitur populum Karolus, venerabilis heros:
„Ergo agite, o proceres," inquit, „quibus, induite arma,
Ire estis soliti ad bellum Martemque severum
Temptare et crudo vosmet confidere pugno:
Pontifici celeri cursu occurremus opimo!"
Vix haec dixit heros, fremit undique turba tumultu,
Tela manu glomerat mox loricasque trilices
Et latos clipeos galeasque et spicula; peltae
Aeratae resonant; acies hinc inde videntur
Ire equitum; sparso nigrescunt pulvere nubes
Et tuba lugubri medio strepit aggere voce.
Classica signa sonant; campi densentur aperti,
Agmine cristatus fulgetque exercitus omnis.
Tela micant pariter, vexilla levata coruscant,
Armati incedunt iuvenes et freta iuventus
Gaudet equis; siccus fervescit in ossibus ardor

Audendi. At Karolus medio micat agmine laetus:
Aurea crista tegit frontem et conspectus in armis
Fulget; equo ingenti portatur ductor opimus.
Ante sacerdotum porro castra agmina ternis
Stant divisa choris in longis vestibus; almae
Sacra crucis vexilla levant et praesulis omnis
Adventum exspectat clerusque et candida plebes.
Iam pater in campo Karolus videt agmina aperto;
Pippinum et summum pastorem tendere contra
Constat: et inque modum populum exspectare coronae
Praecipit atque aciem hinc dividit urbis ad instar.
Ipse autem medio consistit in orbe beatus
Praesulis adventum exspectans, et vertice toto
Altior est sociis, populum supereminet omnem.
Iam Leo papa subit que externo se agmine miscet.
Quam varias habitu, linguas, tam vestis et armis
Miratur gentes diversis partibus orbis.
Extemplo properans Karolus veneranter adorat,
Pontificem amplectens magnum, et placida oscula libat.
Inque vicem dextras iungunt pariterque feruntur
Gressibus et multo miscentes verba favore.
Ante sacerdotem ter summum exercitus omnis
Sternitur et supplex vulgus ter fusus adorat,
Pro populoque preces ter fundit pectore praesul.
Rex, pater Europae, et summus Leo pastor in orbe
Congressi inque vicem vario sermone fruuntur.
Exquirit Karolus casus auditque laborum
Diversos; sceleris populi impia facta stupescit.
Miratur geminas iam dudum luce fenestras
Extinctas et nunc reparatum lumine vultum,
Truncatamque loqui miratur forcipe linguam.
Alter in alterius configunt lumina vultus
Et parili sedis tendunt ad culmina gressu.
Ante sacerdotes sacri stant ostia templi
Alternis vicibus modulantes carmina laudum,

Atque Creatori grates laudesque frequentant,
Qui nova pontifici reddebat lumina summo
Et desperatam condebat in ore loquellam.
Exoritur clamor, vox ardua pulsat Olympum:
Intrat Apostolicus Karolo ducente beato,
Templa Creatoris, solito sollemnia more
Concelebrare pio missarum sacra favore.
Exhinc officiis divinis rite peractis,
Invitat Karolus celsa intra tecta Leonem.
Clara intus pictis conlucet vestibus aula;
Auro, ostro ornantur hinc inde sedilia multo;
Ad mensas resident laeti variisque fruuntur
Deliciis; medio celebrant convivia tecto:
Aurea namque tument per mensas vasa Falerno.
Rex Karolus simul et summus Leo praesul in orbe
Vescitur atque bibunt pateris spumantia vina.
Post laetas epulas et dulcia pocula Bacchi
Multa pius magno Karolus dat dona Leoni.
Hinc laetus repetens aulae secreta revisit
Rex et Apostolicus repetit quoque castra suorum.
Cum táli a Karolo Leo fit susceptus honore,
Romanos fugiens propriisque repulsus ab oris.

(Omnibus denuo perpensis, videre mihi nunc videor, nihil magnopere impedire, quo minus Hilperico Lupi hoc tribuatur poëma. Quidni enim idem fuerit et poëta et pictor, quemadmodum Michaël Angelus Bonarota, Salvator Rosa, Henricus Fuesslinus, alii?)

VARIETAS LECTIONIS.

Versui primo a manu recentiore superscriptum *Caput.* I. (Vers. 1. et 38.) Codex *ammonet.* — (12) *qua*] Barthius. Cd. recte *quo.* — (15) *lumine*] Codex. — *numine* Pertz. — (25) *Fulget et aeterno*] Codex a sec. manu. — *Fulget aeterno* Cod. a pr. manu. — *Fulget; ab aeterno* Pertz., qui suspic. *at* vel *ac* pro *ab.* — (37) *imponet*] sane Cod.; sed leg. *imponit.* — (45) *Qui pius*] Sic recte Cod. Pertz de Bouqueti coni. *Qui prius:* quod non coit cum v. *iamdudum.* Seq. v. *que* παρέλκει, ut v. 490. Ibid. Recte Barthius *timore pii.* — (47) Cod. *Eregit.* — (59) *gloria summa Nominis. Hunc*] Sic Cod. — *gloria summa. Nominis hunc* Pertz. Barthius volebat: *summa. Numinis hunc* cet. — (69) Cod. *vegitat.* — (71) Cod. *arator.* — (83) *Artis opacum*] De Canisii et Bouq. coni. Pertz. — *Aros opacum* Codex. — *Arcis opacum* Barth. — (89) *rudi*] Barth. — *rudis* Cod. — (95) *ingenti*] — *ingenii* Bouq. susp. — (104) *portas*] Barth. — (106) Cod. *thermes calidos.* — (109) *bullentis*] Sic Cod.; ad metrum recte; ad formam barbare. — *bullientis* Pertz. — (Ibid.) Codex reapse habet *fervere*, non *fervore*, ut aiunt Edd. — (115) Codex revera *solido*, non *solide*, ut aiunt. — (118) *ad moenia*] Sic recte Cod. et Pertz. — *ad sidera* Chesnius et Bouq. — (126) Cod. *Marmora qua.* — (129) *Formicae ore legunt* Barth. — (132) *studeant*] recte ad metrum Cod. et Pertz. — *student* Chesn. et Bouq. (Codex item: *revisant.*) — (143) *Nunc procul*] Sic Codex ipse, ut correxit Pertz priorum *Non procul.* — (157) „Bouquet correxit *iuventus regalis. Parte.* Sed Codicis lectio retinenda: '*regali in limine primo resistit* (i. e. consistit) *nobilium manus expectans.*" Pertz. — (161) „*considerat* legit Canisius (i. e. Cod. ipse) et coniecit *considit*, quod Chen. et Bouq. receperunt. Equidem, quum *consurgit* v. 158. occurrat, uni voci *conspirat* locum relinqui video." Pertz. Malim *conscendit*, ut v. 424. — (167) *movet acre*] Canis. — *movet* (non *monet*) *care* Cd. — (174) *coniunctaque*] Sic Cod. — *iniunctaque* Pertz. — (176) Cd.: *foriosoque ore molosos.* — (177) Huic versui a manu rec. superscr. *Caput.* II. — (179) *alte*] Sic Cod.; non *altae*, ut habent Edd. Sed quomodo construendus hic versiculus sive *alte* legis sive *altae?* Utrum: *classica alte panduntur* (i. e. canuntur) *portae* (dativ.) *urbis?* An legendum: *ante urbis panduntur classica portas?* Barthius: *altae urbis pandunt ut classica portas.* — (184) *Liutgardis*] Sic utique Cod., non *Luitgardis*, ut aiunt. — (192) *Agmine se iungit*] Barth. — *Agmina seiungit*

Cod. — (194) *manus*] Bouq. — *magnus* Cod. — (200) Codex: *Pipinus*. Sed infra semper *Pippinus*. — (202) *herus* Barth. — (220) *Berta*] „poëtae uxor." Pertz. (?) — (221) *virili*] Sic Cod. — *virile* Pertz. — (225) *murinam*] „pellis ermineae aut zibellinae." Pertz. — (228) *Bractea*] — *Bratea* Cod. et Pertz. — (246) Cod. *dependunt*. — (251) *egreditur*] Codex. — *ingreditur* Pertz. — (253) *zmaragdis*] Cod. — *smaragdis* Pertz. — (254) *Pes*] Basnagius. — *Res* Codex et Edd. ante Basn. — (256) Codex: *iachyntina*. — (263) *Hiltrud*] Sic Codex. — *Hildrud* Pertz. — (264) *senatum*] „i. e. *senatorum*. Bouquet ex Canisii coni. correxit *senatus*." Pertz. — (268) *plebs*] Bouq. = *pleps* Pertz. — *plens* Codex. — *pleni* Ch. E Cd. emendavi vitiosam Pertzii distinctionem horum vv. — (284) Codex *vidit*. — *hic praedam*] Sic Cod. „Sola vocum transpositione (*praedam hic*) versum restitui." Pertz. Ita scilicet, ut evaderet prorsus ἄμετρος. In caesura syllaba *det* pro longa usus esse videtur poëta. — (288) *ab altis*] Sic Codex. — *in altis* Pertz. — (290) *tenet*] de Canisii coni. Pertz. — *teret* Cod. — (293) *rabidos*] Sic Codex. — *rapidos* Pertz. — (302) *claros*] Sic Codex. — *claris* Pertz. An *verbis claros affatur?* — (302) Codex: *laetum*. — (306) — *herus* Barth. — (314) Huic versui superscr. a manu rec. *Caput* III. — (325) *Membra solo*] Codex. — *Membra sed* Pertz. — (326) Codex *vidit*. — (343) *Optatumque*] Codex. — *Optatique* Pertz. qui adnotat: „monte Mario." — (358) Cod. *vechros* (sic). — (382) *errat*] Cod. — *erat* Pertz. — (384) Cod. *defendetis*. — (390) Cod. *Vindicat* et *Allevat*. — (397) *Obstipuit*] Cod. — *Obstupuit* Pertz. — (413) *Obstipeant*] Codex. — *Obstupeant* Pertz. — (414) *recreata*] Sic scripsi. — *recreantem* Codd. et Edd. — (423) Cod. *tremet*. — (437) Cod. *retensat* (sic potius, quam *recensat*.) — (438) *abscisam*] Codex. — *abscissam* Pertz. — (441) *Auditu*] Codex. — *Audita* Pertz. — (448) *ibit*] „i. e. *it* C. coniecit *ibat*; sed praesens requiri apparet." Pertz. Nisi tamen leg. *ivit*. — (451) Cod. *vidit*. — (459) *libans*] Canis. — *libens* Cod. — (462) *problemata verbo*] Canis. — *pro bleps innata ubo* (cum lineola, i. e. *verbo*, non *umbo*) Cod. — Versui 463. superscr. a manu rec.: *Caput* IIII. — (469) — *herus* Barth. — (475) *densentur* Codex (ut *densentur funera*). — *densantur* Pertz. — (480) Habet Codex *at Kar.* non *ac K.* — (481) Codex *tegis*. — (487) *videt*] Sic scripsi. — *vidit* Codex et Pertz. — (490) Codex *hic*. — (491) *consistit*] Codex. — *consistere* Pertz. — (495) Sine exclamatione sic videbatur edendum cum Cd. *Quam varias habitu, linguis tam, vestis et armis Miratur gentes* i. e.: „Miratur gentes tam varias linguis, quam habitu vestis et armis." — (510) Cod. *mirantur*. — (512) Codex: *Etparali sedes*. Emendavit Canisius: *Et parili pedes*, contra metrum. Praetuli *sedis*, i. e. templi. — (532) Codex: *magna*. — (533) Habet Codex *revisat* a manu prima. Tum per rasuram correctum *revisit*. — (536) *propriisque*] Ita Codex. — *propriis* Pertz.

OFFICIUM TURICENSE
DE
SANCTO KAROLO.

(*Ex* H. Canisii *Antiquae Lectionis Tomo* VI. *Ingolstadii* 1604. *p.* 438. *et* C. G. F. Walchii *Historia canonisationis Caroli Magni. Ienae* 1750. *p.* 101. *seqq.*)

In virtute tua, Domine,

Resp.

magna est gloria.

Oratio.

Deus, qui superabundanti fecunditate bonitatis tuae beatum Karolum magnum, Imperatorem et Confessorem tuum, deposito carnis velamine beatae immortalitatis trabea sublimasti: concede nobis supplicibus tuis, ut, quem ad laudem nominis tui honore imperii exaltasti in terris, pium ac propitium intercessorem habere mereamur in coelis.

Lectio libri Sapientiae.

Beatus vir, qui in sapientia morabitur.

Gradu.

Domine, praevenisti.

Resp.

Vitam petiit.

Alleluia.

Domine, in virtute.

(*Si infra LXX., pone sequens Resp.*

Beatus vir, qui timet dominum.)

Vs.

Potens in terra.

Resp.

Gloria et divitiae.

SEQUENTIA.

Urbs Thuregum, urbs famosa,
Quam decorant gloriosa
Sanctorum *) suffragia:
Regi regum pange laudes,
Quae de magni regis gaudes
Karoli memoria.

Iste caetus
Psallat laetus;
Psallat chorus
Hic sonorus
Vocali concordia.

At dum manus operatur
Bonum, quod cor meditatur,
Dulcis et psalmodia,
Hac in die, die festa,
Magni regis magna gesta
Recolat ecclesia;
Reges terrae et populi
Simul plaudant singuli
Celebri laetitia.

Hic est Christi miles fortis,
Hic invictae dux cohortis,
Decem sternit millia:
Terram purgat a lolio
Atque metit cum gladio
Ex messe zizania.

---

*) SS. Felicis, Regulae, Exuperantii, patronorum etiam nunc nostrorum. Nam post tot turbas et religiosas et civiles hodie quoque simulacra trium horum Sanctorum supplicio, ut ferunt, apud nos affectorum nostrae rei publicae insignia sunt.

Hic est magnus imperator,
Boni fructus bonus sator
Et prudens agricola.
Infideles hic convertit,
Fana, deos hic evertit
Et confringit idola.

Hic superbos domat reges,
Hic regnare sacras leges
Facit cum iustitia:
Quam tuetur eo fine,
Ut et iustus, sed nec sine
Sit misericordia.

Oleo laetitiae unctus,
Dono gratiae *perfunctus* *)
Ceteris prae regibus,
Cum corona gloriae
Maiestatis regiae
Insignitur fascibus.

O rex, mundi triumphator,
Iesu Christi conregnator,
Sis pro nobis exorator,
Sancte pater Karole,
Emundati a peccatis
Ut in regno claritatis
Nos plebs tua cum beatis
Caeli simus incolae.

Stella maris, o Maria,
Mundi salus, vitae via,
Vacillantum rege gressus,
Et ad regem des accessus
In perenni gloria.

Christe, splendor dei patris,
Incorruptae fili matris,
Per hunc Sanctum, cuius festa
Celebramus, nobis praesta
Sempiterna gaudia.

---

*) Hoc vocabulum supplevi de coniectura mea.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore dixit Iesus discipulis: Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit *cet.*

Credo in unum *non canitur*, *ni sit Dominica.*

Offerto.

Posuisti, Domine, in capite.

Secreta.

Hostias tibi, Domine, quas pro sancti Karoli Magni, Imperatoris et Confessoris tui, commemoratione deferimus, tibi suppliciter exorantes, ut peccatorum indulgentiam nobisque pariter mentis et corporis conferant salutem.

Commun.

Magna est gloria.

Complet.

Sanctificet nos, quaesumus, omnipotens Deus, sacri corporis tui veneranda perceptio, ut, intercedente Beato Karolo Magno, Imperatore et Confessore tuo, per haec mysteria nostrae salutis et fidei in praesenti peccatorum veniam et in futuro vitam consequi mereamur aeternam. Per Dominum *cet.*

